

10192

1749, 15.

D I S P U T A T I O I V R I D I C A
V N D E C I M A
**S E L E C T I O R A I V R I S
P R I N C I P I A**

A D

O R D I N E M D I G E S T O R V M E X P O S I T A
L I B R I VI. S P E C I M E N I. C O N T I N E N S

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S
I N D V L T V
P R A E S I D E
I O . T O B I A R I C H T E R O
P H I L E T I V . D .

A D D I E M X V I I I . I V N . A . C . N . M D C C X L V I I I .

H . L . Q . C .

P V B L I C E V E N T I L A N D A M P R O P O N I T
A V G V S T I N . P O L Y C . F R I D E R . R V D L O F F
M A G D E B U R G E N S I S .

L I P S I A E
L I T T E R I S L A N G E N H E M I I S .

H. m. Bach.

DISPUTATIO IURIDICA
PRO FESTA S. GREGORII
SEREGTIORA IURIS
PRINCIPIA
AD
LIBERI ET LIBERTINUM CONTINENS
HISTORIAE IURIDICAE
INDIVIDUA
ET CIVILIA
TOTIA RIGIT
AD DILECTUM M. C. W. MDCXXVIII
TAMEN VINTENAS TOTONIT
ANASTASI FORIC TRIBUNI ADOLFI
MAGISTERIUS
IUSTITIA
MANU M. C. W. MDCXXVIII



Q. D. B. V.

SELECTIORVM IVRIS
PRINCIPIORVM
AD DIGESTORVM
LIBRVM VI. SPECIMEN I.

Neminem plus iuris in alterum transferre posse, quam quod ipse habet, satis est exploratum; hinc et **VLPIANVS** *) ait: *traditio nihil amplius transferre debet vel potest, ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui tradit.* Inde DD. etiam non sine ratione statuunt, eum, qui rei vindicationem vt actionem ex dominio profuentem instituit, sui auctoris dominium probare teneri, vt ita certum sit, dominium in vindicantem vere fuisse translatum. Ego non minus huc refero, si quis rem derelictam occupauit, quoniam res

A 2 dere-

4 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

derelicta non statim praesumitur, neque alius, nisi dominus liberam rerum administracionem habens, rem suam cum effectu derelinquere potest,^{b)} ac ipsa tandem derelictio pro traditionis specie habetur.^{c)} Sed cum regula nulla ultra limites valere queat, dominium auctoris probari non debet, quoties vindicans originario modo, per occupationem, dominium est consecutus, quippe quo casu aliquis auctor ne quidem existit, et eorum, quae fieri nequeunt, nulla est obligatio.^{d)} Ceterum casus, quo quis rem usuccepit, hoc loco excipiendus est, quia usucapio ex singulari ciuilis Legis dispositione dominium tribuit perfectissimum, nec tempore legitime finito, de iure auctoris amplius quaeri solet.^{e)}

a) in L. 20. pr. ff. de acquir. rer. domin.

b) arg. §. 46. I. de Rer. diuis.

c) vid. B. LÜD. MENCKEN. Tractat. Synoptic. Institut. Iur. Iustin. Lib. II. tit. 1. §. 45.

d) L. 185. ff. de R. I.

e) arg. §. f. I. de usu et habit. et pr. I. de usucaption.

II.

Cuicunque non competit dominium, illi nec actio inde profluens rei vindicario unquam competere potest. Hinc est quod nec aliquis rem, quam illius pecunia tertius quidam

dam sibi emerat, vindicare possit. Ita enim imperator GORDIANVS^{a)} constituit: *Si ex ea pecunia, quam deposueras, is, apud quem collocata fuerat, sibi possessiones comparauit, ipsique traditae sunt, tibi vel omnes tradi, vel quasdam ex his compensationis causa, ab inuitio eo in te transferri iniuriosum est.* Quinimo, iis, quorum pecunia fuit, personalis actio ad pecuniam repetendam datur, contra, res emtae nullò modo iis affectae tenentur.^{b)} Evidem scio dari casus, vbi dominium illico acquiritur iis, quorum pecunia illud comparatum est, ac iisdem ideo rei vindicatio datur, vt militibus,^{c)} et pupillis;^{d)} verum hic ad sunt expressi Legum textus. In aliis ergo exemplis, vbi similiter a regula recedi debet, Leges id probantes adducendae sunt. Ita vero, cum Lex deficiat, si pecunia dotali fundus a marito comparatus sit, vxori fundum non acquiri statuo. Eademque sententia eo etiam adhuc confirmatur, partim quod DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS^{e)} impp. expresse disponant, ex pecunia dotali fundum a marito comparatum vxori non quaeri, sed dotis tantum actionem ei competere: partim quod pecunia dotalis tanquam res fungibilis mariti periculo sit, et in hoc data, vt maritus eam ad arbitrium suum distrahat et aliquando

A 3

aliam

6 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

aliam eiusdem generis restituat.^{f)} Quicquid igitur de pecunia dotali non valet, illud tanto minus de reliquis vxorum bonis, paraphernalibus scilicet atque receptitiis, valebit.

- a) in L. 6. C. de rei vindic.
- b) vid. L. 1. C. Si quis alteri vel sibi. Cum qua Lege egregie conspirant L. 21. C. de probat. et arg. L. 23. ff. de reb. cred. L. 21. ff. de heredit. vel act. vend.
- c) L. 8. C. de rei vindic.
- d) L. 2. C. quando ex fact. tut. vel curat.
- e) in L. 12. C. de iure dot.
- f) L. 42. ff. de iure dot.

Dissent. WISSEN BACH. ad tit. ff. de rei vind. th. 12. et PEREZ. ad tit. C. Si quis alt. vel sibi *in fine* ob L. 54. ff. de iure dot.

Intuitu omnium vxoris bonorum nobis contrarius est LVDOVICI Doctrin. Pandect. Lib. VI. tit. 1. §. 2. ob L. 65. ff. de donat. inter vir. et vxor.

III.

Fructus etiam in rei vindicatione veniunt restituendi; *meum enim est*, inquit CELSVS,^{a)} *quod ex re mea supereft*, cuius vindicandi ius habeo. Sed non immerito quaeritur, num omni casu ac omnes fructus indistincte restitui debeant? Distinguo, an cum bonaे an malae fidei possessore agatur. De malae fidei possessore, quod ad omnes indistincte restituentos teneatur, ideo indubitatum est, quoniam in

in eo illi etiam aestimantur, qui percipi honeste potuerunt.^{b)} Quod autem ad bona fidei possessorem attinet, eum quidem et pendentes et perceptos vereque extantes reddere teneri, ex laudata C E L S I regula manifestum est: percipiendos vero is non tantum nunquam restituit,^{c)} sed nec de consumtis omnimodo tenetur. Scilicet videndum est, an ex consumtis aliquod emolumenntum penes possessorem adhuc extet nec ne. Si quid extat illud omniuno restituendum est,^{d)} quoniam et hac parte nemo cum alterius damno locupletior fieri debet: si nihil emolumenti aut pretii inde extat, nihil quoque pariter ac in hereditatis petitione repeti poterit,^{e)} et hoc casu perinde est, siue de naturalibus siue de industrialibus fructibus quaeratur, cum bona fidei possessor vtriusque generis fructus pro cultura et cura suos faciat,^{f)} adeoque suos etiam dilapidet atque consummat.

a) L. 49. §. 1. ff. de rei vind.

b) L. 33. ff. eod.

c) arg. L. 136. ff. de R. I. add. L. 25. §. 11. ff. de hereditat. petit, et §. 35. I. de R. D.

d) L. 70. §. 3. L. 71. ff. de Legat. II.

Dissent. V L R I C. H V B E R V S Praelect. Iur. Rom ad Pandect. Lib. VI. tit. 1. §. 9. qui etiam eodem loco, nec fructus a fundo separatos iure vindicationis peti posse

8 SELECTIONA IURIS PRINCIPIA

posse affirmat et L A V T E R B A C H . in Conclus. Theoret. Pract. Exercit. XVI. pos. 3.

e) vid. Select. Iur. Princ. Disp. X. pos. 15. conf. L. 4. §. 2.
ff. finium regund.

Dissent. L V D O Y I C I Doctr. Pand. Lib. VI. tit. I. §. 5.
in fine.

f) 35. I. de R. D.

IV.

Bonae fidei possessor in rei vindicatione quidem impensas utiles in rem et fructus factas, a fructibus perceptis deducere, imo eas, quae fructus superant, iure repetere potest; etenim inquit PAPINIANVS, ^{a)} *admissa compensatio ne superfluum sumptum, meliore praedio facto, dominus restituere cogitur.* Cum vero idem ICtus hanc assertionem ita limitet: *si sumptus scilicet fructuum ante litem contestatam perceptorum summam excedant,* orta est quaestio: num impensae a fructibus post litem contestatam perceptis reddi forte nequeant? Quam rem DD. verba Legis corrigentes diuersimode decidunt. Alii pro *ante litem contestatam substituunt post litem contestatam:* alii a lice *contra legunt,* ^{b)} quam lectionem posteriorem GOTHOFREDVS ^{c)} quoque meliorem esse censet. Ego nullam emendationem admitto, sed PAPINIANI textum in se clarum et sine correptione saluum esse arbitror; nam in tota

Lege

Lege non tam quaeritur de eo, an impensas possessor recipere nequeat, quam de eo: an deducere illas possit, an vero dominus illas restituere teneatur? vbi sic respondetur: superfluum sumtum restituere cogi. Cur autem impensae a fructibus post litem contestatam perceptis non aequa deducuntur? Ratio haec est, quia bonae fidei possessor tum regulariter in mala fide constitutus censetur, hic vero non deducendi impensas, sed tantum tollendi habet potestatem.^{a)} Hanc etiam PAPINIANI mentem esse inde patet, quod casum supponat, quo praedium alienum esse apparuit, adeoque possessor fuit condemnatus.

a) in L. 48. ff. de Rei vind. conf. etiam L. 65. pr. ff. eod.
et L. 36. §. vlt. ff. de heredit. petit.

b) vid HVEREPI Prædict. ad Pand Lib. VI. tit. i. §. 10.

c) ad all. L. 48. ff. de Rei vind.

d) L. 37. ff. L. 5. C. eod.

Aliter hanc rem exponit laud. HVEREVUS all. loc.

V.

Etiamsi quis rem aliquam bona fide publiceque in foro, hac expressa intentione comparauerit, ut eam domino restitueret, ac eiusdem inde promoueret utilitatem, tamen pretium a domino vindicante repetere nequit. Quod enim alicuius iam est proprium, illud

B oneroso

10 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

oneroſo titulo acquirere denuo non debet. Neque perspicio vtilitatem in re mea ab altero comparata promotam, quam ipſe a quoconque poffeffore repetere poteram. Inde eſt quod ALEXANDER ^{a)} imperator aperte conſtituat: *rem tuam a poffeffore vindicare etiam non oblatio pretio poteris.* Idque confirmant DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS ^{b)} imp. cum disponant: *vindicanti tibi dominium, ſoluendi pretii nulla neceſſitas irrogetur.* Quid? quod eiusmodi emtores magis ab auctore, quam a domino vindicante, id quod interefit, petant; nam iidem imperatores ^{c)} tradunt: *ſuper pretio euictae portionis non eum, qui dominium euicerit, ſed auctricem conueniri conſequens eſt.* Casum tantum excipio, vbi rei vindicatio coepit extingui, adeoque res per emtionem veluti ab interitu conſeruata fuit; ^{d)} ſic enim negotium domini vere geſtum fuit, et adeo a geſtore preſtum ob maximam aequitatis rationem repetitur.

a) in L. 3, C. de Rei vind.

b) L. 23, C. eod, add. L. 2, C. de furt.

c) in L. 16, C. de euict.

d) vt ſi res ab hostibus capta. vid. diſſ. noſtra de rebus mobilibus inter arma captis et alienatis §. 17.

Paulo latius noſtram exceptionem extendunt et in eo
a nobis

AD DIGEST. LIB. VI. SPECIM. I. II

a nobis recedunt CARPOV. P. IV. Conſt. 39. def.
7. et LUDOVICI Doctr. Pandect. Lib. VI. tit. I. §. 7.

VI.

Effatum VLPIANI: ^{a)} qui restituere iuf-
fus, iudici non paret, contendens non posse re-
ſtituere: ſiquidem habeat rem, manu militari,
officio iudicis, ab eo poſſeſſio transfertur: et
fructuum duntaxat, omnisque cauſae nomine
condemnatio fit, nonnullis diſſicile atque ſu-
ſtum viſum fuit. Sic ANTONIVS FABER ^{b)}
in verbis: manu militari praecipue notam ſu-
ſpicionis occurrere cenſet, cum hac ratione
natura actionum arbitriarum non tantum diſ-
turbata ſit atque ſublata, ſed ipſa quoque ma-
nus militaris veteribus incognita, et a Triboniano
Legibus intruſa. VLRIC. HVBERVS ^{c)}
ſe non intelligere contendit, cur officio iudi-
cis iſta manus militaris adſcripta ſit, cum ſatis
conſet, exequendi vim manumque armatam
penes magistratus fuifſe ſolos. Omitto reli-
qua parum ponderis dubia. Tentabo tamen,
numne Vlpiani ſententia hoc loco integra fer-
uari et cum aliis Digestorum Legibus optime
conciliari poſſit. Primum ſcilicet arbitriaria-
rum actionum effectus ^{d)} in rei vindicatione
tum demum ſequebatur, ſi reus dolo fecerat,
quo minus restitueret, quod ex eadem Lege ^{e)}

B 2

mani-

manifestum est: si vero res adhuc extabat, eadem possessori vi ertorquebatur,^{f)} et fructuum duntaxat, omnisque causae nomine, siebat condemnatio; hinc in dicta Lege actionum arbitrariarum natura non sublata sed tantum limitata est. Deinde manum militarem, tanquam naturalem ac optimum exequendi modum, veteribus haud incognitam fuisse, patet ex alio eiusdem Vlpiani loco,^{g)} quem ego falsum et corruptum dicere, absque temeritatis nota, non ausim. Tandem non quidem inficior, potestatem exequendi penes praetorem fuisse, neque regulariter datis iudicibus competiisse:^{h)} vt autem illa his iudicibus committeretur, id nullibi prohibitum inueni. Quinimo hoc fieri posse, Vlpianus ipse perspicue tradit.ⁱ⁾ Cum etiam tota iurisdictio mixtumque imperium a praetore alii demandari potuerit,^{k)} non video, cur idem in iudice pedaneo haud obtinere debuerit. Idque etiam in nostra Lege videtur supponi, quando iudici pedaneo non per se, sed *eius officio*, quod praetoris auctoritate terminabatur, manus militaris adscribitur.

a) in L. 68. ff. de Rei vind.

b) Lib. VI. Coniectur. c. 17. conf. WISSENBACH. ad Pand. de Rei vind. th. 14.

c) in Praelect. ad Pandect. Lib. VI. tit. 1. §. 13.

d) vid.

- d) vid. §. 31. I. de Actionib. et L. 14. §. 4. ff. quod met. caus.
- e) all. L. 68. verf. si vero non potest. ff. de Rei vind.
- f) all. L. 68. Cui addendum, quod in actionibus realibus executio statim fieri possit §. 2. I. de offic. iudic. L. 9. ff. de Rei vind. L. pen. C. deposit.
- g) L. 2. pr. ff. ne vis fiat ei. conf. L A V T E R B A C H. Colleg. Pandect. Lib. XLII. tit. 1. §. 35.
- h) L. 15. pr. ff. de re iudic.
- i) in all. L. 15. §. 6. 7. 8. ff. de re iudic.
- k) L. 1. §. 1. in f. L. 5. §. 1. add. L. 4. §. 1. ff. de offic. cuius cui mand. est iurisd.

VII.

Quicunque usucapere potest, seu constitutus est in usucapiendi conditione, solo tempore excepto, illi etiam datur actio publiciana.^{a)} Iam vero eum, qui a furioso, ignorans eum furere, emit, posse usucapere, ergo et Publicianam habere, VLPIANVS^{b)} ex Marcello tradit. Certe non haberem cur principia haec fere tralatitia proferrem, nisi PAVLV^{c)} eis grauissime contrarii videretur, cuius verba haec sunt: *Si a furioso, quem putem sanac mentis, emero: constitut utilitatis causa usucapere me posse, quamuis nulla esset emtio, et ideo neque de evictione actio nascitur mihi, nec publiciana competit nec accessio possessionis.* De conciliatione iam dudum magni nominis ICti fuerunt solliciti, sed eam indubitatem nondum praestitisse

B 3

viden-

14 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

videtur; hinc NICOLAVS de PASSERIBVS^{d)} tantum hoc nobis dedit consilium: *de vera conciliatione cogitato.* Mea vero sententia alter ICtus ab altero in adductis Legibus plane non dissentit; Paulus enim clare dicit: *Si a furioso, quem putem sane mentis, emero, constitutus vscapere utilitatis causa me posse,* atque hic idem, quod Vlpianus, confirmat. Notanter autem ille adiicit: *utilitatis causa,* quoniam omnia vscaptionis requisita hic non concurrunt, siquidem emtio cum furioso inita nulla est, adeoque titulus iustus vere deficit, et ita res, quae recta via vscapi non poterat, tamen utilitatis causa, cum possessori hac in re decepto nihil imputari queat,^{e)} acquiri permittitur. Quae tandem in fine dicuntur: *publicanam non competere,* ea naturali connexione ad verba se referunt, quae antecedunt: *quamvis nulla esset emtio.* Hoc enim certum est, furiosum contrahendi facultate destitutum, per eiusmodi contractum in emtorem nihil iuris transferre posse; hinc si possessor titulum suum ex celebrata emtione perfecta probare, indeque actionem publicanam deriuare velit, eum oleum et operam omnino perditur nemo non videt. Hoc igitur respectu is, qui emit a furioso, intuitu rei emtiae nunquam habebit publicanam.

a) arg.

- a) arg. §. 4. I. de actionib. et L. 1. pr. L. 7. §. 2. 3. add.
§. 16. et L. 9. §. 5. ff. de publician. in rem act.
- b) in L. 7. §. 2. ff. de publician. in rem act.
- c) L. 2. §. 16. ff. pro emtore
- d) in Tr. Conciliatio Cunctarum Legum in toto cor-
por. Iur. Ciui. cap. III. qu. 5.
- e) Idem illustrat *Africanus* in L. n. ff. pro emtore.

VIII.

Aetio publiciana locum habet, et si actoris mala fides superuenerit; ^{a)} hoc enim nec ipsi vsucaptioni est impedimento. ^{b)} Datur etiam ea aetio tantum aduersus infirmiori iure pos-
sidentem, ^{c)} et fieri potest, vt actor sit in ma-
la fide, et nihilominus meliori iure munitus quam reus, veluti si quis vt successor defuncti bonae fidei possessoris, attamen sciens rem alienam sibi reliqtam petat, ab eo, qui eam rem sine causa possidet. Neque hoc iure ca-
nonico est mutatum, quippe quod de hac actione nihil disposuit, adeoque ius ciuile inta-
ctum reliquit. ^{d)} Quod autem in illo de vsu-
capiione habetur ^{e)} illud in casu expresso
aequissimum est, ne mala fides superueniens contra dominum prospicere possessori: ast in aetio-
ne publiciana hoc ideo non est metuendum,
quia dominus semper ius habet firmius adeo-
que illa aetione conueniri nunquam potest. ^{f)}

a) L. 7.

16 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

- a) L. 7. §. 12. et 17. ff. de public. in rem act.
- b) arg. L. 7. §. 2. it. §. 17. ff. cod.
- c) L. fin. in f. ff. eod.
- d) arg. c. i. X. de nou. oper. nunc.

Dissent. TREVTLER. et BACHOV. Vol. I. disp. 15. th.

13. lit. C. ob all. L. 7. §. 17. ff. de public. in rem act.

addit. arg. c. f. X. de praescript.

e) in c. fin. X. de praescript.

f) L. fin. ff. de publ. in rem act.

IX.

Postquam lata est Lex Zenoniana, quae emphyteuseos contractus propriam statuit naturam, suis pactionibus, scriptura interueniente habitis, fulciendam,^{a)} dubitari non potest, quin ad eiusdem contractus perfectiōnem requiratur scriptura. Verba enim: *scriptura interueniente*, in laudata Lege absolute posita, sunt loco conditionis, naturam illius contractus propriam terminantis: in adimplenda conditione autem non admittitur aequipollens,^{b)} sed eius quod impositum est, forma specifica est obseruanda. Deinde ius emphyteuticarium neque conductionis, neque alienationis esse titulis adiiciendum, sed ab vtriusque memoratorum contractuum societate seu similitudine separatum constitutum est; ^{c)} qua igitur quaeso ratione contractibus consensualibus potest accenser? Nullam inde intuitu

intuitu scripturae differentiam, inter emphyteuseos civilis atque ecclesiasticae ⁴⁾ constitutionem subesse censeo.

- a) L. i. C. de iur. emphyteutic.
- b) arg. L. 44. pr. §. 1, 2, 3. ff. de condit. et demonstrat.
- c) all. L. i. C. de iure emphyteut. Plura habet BRONCHORST. Eγαντιοφ: Centur. I. assert. 49. qui simul nostrae opinionis rationem utilitatis allegat.
- d) Nou. VII. c. 3. §. 2. Nou. CXX. c. 5.
Dissentient multi conf. CARPZ. P. II. Conſt. 38. deſin. 7.

X.

Imperator ZENO ⁵⁾ in rebus emphyteuticis, ea, quae fortuitis casibus eueniunt, pactis tamen non sunt confecta, ita quidem determinauit, ut ipsius rei per emphyteusin datae clades domino imputetur; damnum vero particulare, ex quo non ipsa rei penitus laeditur substantia, partibus emphyteuticarii adscribendum sit. Sed quid dominus per ipsius rei interitum patiatur, id haec tenus nullibi ab aliquo satis expositum reperiui. Meo iudicio tota res ex hoc diiudicanda est principio: nemo per interitum rei plus iuris amittere potest, quam quod vere in eadem re habuit. Inde colligo,

C domi-

18 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

dominum tantum iura, quae ipsi in emphyteusis competitunt, veluti, ius sperandi consolidationem, ius exigendi canonem, meliorationem, laudem et quae talia reliqua sunt, rei interitu amittere, attamen in ipsa rei utilitate, quae ad eum non pertinebat, nihil damni sentire. E contrario emphyteutam rem et ius emolumenta inde percipiendi, et alia, quae exercere poterat, emphyteusi extincta, amittere ex dictis palam est. Nec igitur emphyteuta, quoties titulo oneroso ius suum acquisuit, casu fortuito eueniente, rei premium a domino repetere potest, cum nemo rei alterius iacturam ferre teneatur. Iisdem principiis commotus haud approbo, quod affirmat BRVNNEMANN,^{b)} emphyteutam, si propter bellum fundo emphyteutico plane frui, aut in eo commorari non potuit, nec etiam canonem teneri praestare; sic enim fundus nondum interiit, et particulare damnum, ius domini non minuit.

a) L. 1. C. de iure emphyteut.

b) ad d. L. 1. C. de iure emphyteut. n. 7.

XI.

Expellitur emphyteuta ob non solutum canonem, triennio in ciuili, et biennio in ecclesiastica

clesiaſtica emphyteuſi elapſo.^{a)} Vbi tamen dominus, antequam expellendi animum declarauit, canonem ab emphyteuta oblatum accepit; quaefcio incidit: an eo caſu nihilo minus expulſio locum habeat? Et statuendum reor, dominum, eti canonem poſt legale tempus praeterlapsum accepit, tum in emphyteuſi ciuili, tum ecclesiastica,^{b)} adhuc expellendi iure gaudere; canon enim quotannis perfecte debetur, adeoque poſtea non minus merito petitur, cum mora non extinguat ſed perpetuet obligationem: poena vero expulſionis non in compensationem debiti canonis, ſed ob illius neglectam solutionem introducta eſt,^{c)} adeoque adhuc obtinet, quia negligentia eſt commiſſa, et ex nimis tarde facta ſolutione luculentius adhuc appetet.^{d)}

a) L. 2. C. de iure emphyteut. et Nou. CXX. c. 8.

b) all. LL.

c) all. L. 2. C. de iure emphyteut. verbis: neminem oporteat conuentione vel admonitione expectare.

d) Conf. BRONCHORST. *Evagrioφ.* Cent. I. affert. 54. Obſt. L. 7. ff. de Lege commiſſor. L. 4. §. 7. ff. de dol. mal. et met. except. L. 115. in f. ff. de V. O. L. II. §. 1. ff. de paci.

Difſent. B. LÜD. MENCKEN Theor. et Prax. Pand. Lib. VI. tit. 3. §. 16. ob c. f. X. de locat. conduct.

XII.

Emphyteusis quidem ad heredes emphyteutae transit, sed regionibus inter plures, inconsulto domino, ita diuidi nequit, ut vnicuique pars quaedam eiusque possessio vere adjudicetur; nam VLPIANO teste ^{a)} magis debet iudex abstinere huiusmodi diuisione: alioquin praefatio vestigialis confundetur. Cui addendum, quod hac ratione dominus cogatur, vt canonis praefationem per partes inuitus accipiat, cum tamen solutio particularis non minima incommoda habeat, ^{b)} et nemini inuitito, adeoque nec emphyteuseos domino soleat obtrudi. ^{c)} Quodsi autem vni ex pluribus totus emphyteuticus fundus attribuatur, idemque obligetur, vt ceteris coheredibus vel data pecunia, vel alio modo satisfaciat, nihil habeo quod moneam, quia sic ipsa emphyteusis non est diuisa.

a) L. 7. pr. ff. Comm. diuid.

b) arg. L. 3. ff. famil. hercisc.

c) arg. L. 41. §. 1. ff. de vsur.

Dissent. BRONCHORST. Evagrio^φ. Centur. I. affert.

56. ob L. 10. ff. famil. hercisc. et L. 4. C. de fidei-comm.



VOIP

ULB Halle
004 073 258



3

56,

VDA8



B.I.G.



10192

1749, 15.

D I S P U T A T I O I V R I D I C A
V N D E C I M A
**S E L E C T I O R A I V R I S
P R I N C I P I A**
A D
O R D I N E M D I G E S T O R V M E X O P O S I T A
L I B R I VI. S P E C I M E N I. C O N T I N E N S

Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S
I N D V L T V
P R A E S I D E
I O . T O B I A R I C H T E R O
P H I L . E T I . V . D .

A D D I E M X V I I I . I V N . A . C . N . M D C C X L V I I I .
H . L . Q . G .

P V B L I C E V E N T I L A N D A M P R O P O N I T
A V G V S T I N . P O L Y C . F R I D E R . R V D L O F F
M A G D E B U R G E N S I S .

L I P S I A E
L I T T E R I S L A N G E N H E M I I S .

J. M. Bach.

